

ventutis corrumperet; vel ob codicum paucitatem, quae non minus, quam ipsa tot odarum iactura, tribuenda est, ut e Petri Alcyonii verbis, quae post Praefationem Baxteri leguntur, apparet, intempestivae, et ineptae, monachorum quorundam pietati, vel superstitioni potius, quae tam foedi scilicet, et mali, libelli exemplaria ex oculis, et conspectu, hominum remouenda vel igni censeret. Quod autem, neque indicavit usquam Stephanus, unde acceperit suos codices, neque, quam vetusti illi fuerint, dixit; id more aliorum quorundam hominum aetatis suae doctorum, non omnium,⁶ fecit; qui mos an laudandus magnopere, neque potius reprehendendus, sit, iam non quaeritur. Sic in recensendo, et emendando, Platone Arlenius, et Serranus, sese usos testantur esse codicibus, sed de vetustate eorum silent. Quis vero, qui horum hominum intellegentiam huius generis rerum, et in tractandis veterum libris, cum integritatem, tum diligentiam, norit, inuenietur, qui codices istos bonae notae, et vetustos, fuisse neget? Sed cum de hoc, aliisque, argumentis, quibus Pauus maxime ad minuendam horum carminum fidem utitur, tum de iis, quibus eorundem auctoritatem defendere, ac tueri, queas, dicemus alias pluribus, et diligentius, si nostra aliquando poetae editio prodibit.

Quippe iam ante duos annos constitueram Anacreontis odas, earumque, et caeterorum eius carminum, reliquias, in tironum usus sic edere, ut primum orationis contextui, ad optimos libros recensito, subiiceretur, cum lectionis varietas e codicibus non magis, quam e scriptoribus, grammaticisque, antiquis, ut Hephæstione, Athenaeo, Gellio, et aliis, qui locos poetae laudant; tum coniecturae virorum doctorum, tanquam Canteri, Salmasii, Bosii, Davissii,

6. Vid. Robertellius d. l.